[33]

DE HROSUITHA POETRIA.

ADJECTA EST COMOEDIA

ABRAHAM

INSCRIPTA.

DISSERTATIO

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA VRATISLAVIENSI

VENIAE DOCENDI

RITE IMPETRANDAE CAUSSA

DIE I. MAJI A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS FREYTAG,

DOCTOR PHILOSOPHIAE.

OPPONENTIBUS:

A. GEYDER, *DR. JUR.*
G. WAGNER, *DR. PHIL.*
F. BEISERT, *STUD. PHIL. ET SEM. PHIL. SOD.*

VRATISLAVIÆ,

TYPIS M. FRIEDLAENDERI.

VIRO CLARISSIMO

HENRICO HOFFMANN

FALLERSLEBENSI

AUCTOR.

Wir hân guoter wîbe genuoc.

De

Hrosuitha poetria.

Sermo latinus, quo medii aevi tempore homines utebantur, a plerisque rudis et inconditus atque arboris excelsae debilis quasi surculus habetur. Neque injuste, si quidem ad cultum et splendorem antiqui temporis continua comparatione omnia, quae e medii aevi ingenio contra leges et ordinem latinum effrenata licentia mutata et aucta sunt, adducis, et veteris nitoris praecepta ubique in novis quaerens, rudem et inurbanum morem contemnis. E contrario autem summum est ejus viri, qui literarum et artium historiae perquirendae operam dat, ut quodcunque multum valere longeque diffusum et cum aliis aliarum rerum initiis conjunctum esse intelligit, id eadem cum assiduitate, quamquam per se magni aestimare nequeat, tractet et observet. Ejusdem enim numinis, quod populi genium vel ingenium nominamus, divino spiritu etiam injucunda illa sancita esse intelligit. Id ipsum ad latini istius sermonis studium impellere possit, qui quantum ad nostrum ingenium et poesim et artes excolendas per medii aevi saecula valuerit, hic enarrare non est opus. Praeterea autem res singulare quoddam habet et eximium. Latina enim lingua medii aevi tempore ejus sermonis imaginem prae se fert, qui arctissime cum alieni populi natura conjunctus propriae consuetudinis nonnulla abjecit, peregrina recepit et firmissime sibi adjunxit. Dissecata quidem est toga candida veterum Romanorum et mutata in monachorum cucullos. Sed cur sanctos praedones illudimus? Aptum enim iis est antiquum vestimentum ac commode in eo pedes movent, ex proprio scilicet more ingredientes et laeti, quod ipsi non Romani sint. Ineptam, quaeso, ne quis

hanc comparationem e sarcinatoris quasi officina sumptam judicet. Etenim et ipsi viri docti literas et artes praeteriti temporis perquirentes quodammodo sartores sunt, qui aethereas illas vestes, quibus indutus genius populorum per saeculorum spatia incedit, e reliquiis et sarcinis studiose consuunt et multitudini explicant.

Maxime miram et insignem speciem sermo pedester medii aevi tempore prae se fert; qui quo corruptior et immanior, eo magis proprius est et ingenuus ac, si usum spectas, haud minus commodus apparet, quam latina, qua nos utimur lingua. Quae quidem Ciceronis, vel ubi succedit, Taciti sonum imitans tum castissima putatur, cum nulla proprii coloris vestigia praebet, Latinis autem certe eodem modo mira esset visa, quo nobis medii aevi sermo. Sed poesis veteris non eadem natura. Hoc enim ipsum, quod carmina ad antiquos modos et numeros composita ac Romanorum poetarum dignitatem et splendorem, adeo verba imitantia nos saepissime impellunt et quasi invitant, ut cum antiquis ipsa comparemus, voluptatem in animo legentis minuit, maxime in iis carminibus, quae a doctissimo quoque composita sunt. Propria quidem et jucunda etiam poetico sermoni medii aevi tempore insunt. Quis magnam vim et splendidum sonum hymnorum rythmicorum neget, in quibus lingua et sententiae, numerus et melodia tam praeclare consonant, ut alterum alterius causa ortum esse putemus? Adeo in iis carminibus, quae ad metricam Romanorum artem composita sunt, poetae nonnunquam antiquam linguam cum propriis euphoniae legibus tam pulcre conjungunt, ut ipsi versus leonini, qui dicuntur, splendidi et augusti incedant. At tamen nostri temporis studium res ipsas, quae narrantur, et proprietatem ingenii: ea dico, quae e saeculi et gentis indole antiquis rebus addita sunt, magis, quam linguam ipsam et antiqui aevi reliquias spectat et aestimat. Rationis vero et viae, qua ad haec studia accedendum sit, clarum nobis exemplum propositum est in libro illo: Lateinische Gedichte des X und XI Jh. herausgegeben von Jac. Grimm und Andr. Schmeller (Gött. 1838.), cui me, quae hac in scriptione non vituperabuntur, maxima e parte debere grato et pio animo confirmo.

Hrosuitha magis laudata et celebrata est, quam ullus alius ejusdem aetatis poeta. Nam postquam Conradus Celtes init. saec. XVI. poetriae nostrae opera edidit, magna cum admiratione et stupore ubique elatum est: floruisse jam saec. X. poesim latinam intra silvas et sal-

tus Germaniae. Voluntas et studium auctum, quod mulier esset; vita et ingenium permultis libris celebratum. Nostris vero temporibus raro commemoratur, et ut saeculum fuit tollere, nunc negligere est. (Cf. ea, quae Lud. Wachler l. infra c. attulit.)

Scripta, quae aevum non abstulit, bis edita sunt, sed neutri editioni carmen de constructione coenobii Gandeshemensis quod inscribitur, inest posteriore tempore detectum:

I. Editio Conr. Celtis. Norimb. 1501. fol.: Opera Hrosvite illustris virginis et monialis germanice, gente saxonica orte, nuper a Conrado Celte inventa, et in fine libri: Impressum Norunbergae sub Privilegio Sodalitatis Celticae a Senatu Rhomani Imperii impetrato. Anno christi Quingentesimo primo supra Millesimum. Haec editio rarissima, satis splendide impressa et pluribus tabulis in aes incisis ornata praeter MSti verba praefationem Conr. Celtis ad Fridericum, Saxoniae ducem et plura epigrammata a viris doctis sodalitatis literariae rhenanae in laudem poetriae composita continet. In biblioth. Univ. Lit. Vratislaviensis id exemplar, quo Andreas Gryphius usus est, servatur.

II. Editio Henrici Leonh. Schurzfleisch. Vitemb. 1707. 4.: Hroswithae Illustris virginis etc. opera cura et studio Henr. Leonh. Schurzfleischii. Vitembergae Saxonum. an. 1717 (leg. 1707). Haec editio prioris libri parum accurata impressio est et praeterea editoris praefationem ad lectorem p. 1—45., vitam Roswithae ab Henr. Meibomio Seniore confectam p. 53—55, ejusdem notas ad Panegyrim Oddonum p. 204—212 (in libro ipso falso p. 232.) et in fine Indicem, quo vocabula rariora explicantur, continet. MS. Schurzfleisch non cognovit.

Singulorum carminum hae editiones:

Carmen de constructione coenobii Gandeshemensis, initio saec. XVIII. detectum expr. in his libris. Joh. Georg. Leuckfeld. Gandersh. Antiquitäten. Wolfenb. 1709. 4. p. 410 sqq. — Godofr. Lud. Leibnitz. Scriptores Brunsvic. T. II. Hanov. 1710. fol. p. 319—330. Joh. Christoph. Harenberg. Hist. Eccl. Gandersh. fol. Hanov. 1734. p. 469—476.

Translatum in lingum german: Nordalbingische Blätter. T. I. p. 4 sqq. a Schmidt von Lübeck.

Carmen Panegyris Oddonum inscriptum: Justus Reuberus.

Script. Rer. Germ. p. 221 sqq. ad Joannis edit. — Henricus Meibomius Sen. cum Annal. Witikindi Corbejensis. Francof. 1621. 4. edidit et notos adjecit in sequente libro et in edit. II. rursus expressas. — Henr. Meibomii Nep. Script. Rer. Germ. T. I. p. 709 sqq.

Carmen de S. Pelagio emend. expr. Act. Sanct. Jun. T. V. p. 209 sqq.

Hrosuithae scripta laudata et celebrata sunt a permultis viris doctis. Vetustiora scripta, in quibus de ea agitur, attulerunt: Harenberg. l. c. p. 1073 et Christoph. Saxi. Onomasticon literarium. T. II. p. 157. Memoratu digna sunt:

1. Henr. Bodo, Clusini monasterii ord. S. Bened. monachus, qui circa a. 1531 Syntagma Eccl. Gandesianae conscripsit, expr. Leibnitz l. c. T. III. p. 701 sqq. ubi p. 712. de Hrosuitha agitur; cf. ejusdem Supplementum Leibnitz. l. c. T. II. p. 330 sqq.
2. Trithemius. Annal. Hirsaug. p. 36. cf. Fabric. VIII. p. 829.
3. Joh. Alb. Fabricius. Bibl. lat. med. et inf. aet. l. VIII. p. 829 sqq. Ex eo libro sumpta sunt, quae afferuntur: Biographie universelle. T. XXI. p. 1. Par. 1818.
4. Gottsched. Nöthiger Vorrath. T. I. p. 4—9, II. p. 6—39. Et nostra aetate: Bouterweck. Gesch. d. Poesie und Bereds. T. IX. p. 48, 49: Wachler, Handb. d. Gesch. d. Liter. III. Umarb. T. II. p. 254., Gervinus, Gesch. d. deutschen Nationall. T. II. p. 360.

De vita cf. Meibomii Script. Rer. Germ. T. I. p. 493 et 705 sqq. — Schurzfleischii editio — Leibnitz. l. c. T. II. Introd. p. 29. — Harenberg. l. c. p. 1072—1076. Geschichte der Roswithe, eines Stiftsfräulein von Gandersheim. 1758. 8. (a Wustemanno, Wirtemb. Profess. compositum multa mira et fabulosa continet). — Joh. Matth. Schröckh: Abbildungen u. Lebensbeschreibungen. T. I. p. 241—250.

De MSStis. I. MS. Ratisbonense, quod in bibl. ad S. Emerammi Conr. Celtes detexit. In praef. l. c. his verbis de eo agit: Cum itaque nuper — forte in coenobium ordinis St. Benedicti concessissem, reperi vetustissimum litera ferme gothica et mulieris manu conscriptum codicem sub titulo et inscriptione virginis monialis germanae, gente saxonica; quo continebantur ea, quae in fronte et indice hujus voluminis continentur. Nomen vero civitatis et monasterii non attulit, quod Aventinus in

praef. ad vitam Henrici IV. vituperat et bibl. monast. S. Emerammi indicat. Ibidem Gottsched a. 1749 invenit et inspexit. cf. Nöth. Vorr. II. p. 10. annot.

II. MS. Gandeshemense, carmen de constr. coen. Gand. continens, saec. XV. scriptum; (cf. Harenberg. l. c. p. 1074.) de qua Leibnitz. l. c. Introd. p. 29. haec dixit: Serenissima Princeps Henrica Christina, quae nunc (monasterio) praeest, — — nuper voluit, ut Archivum inspicerem, praeclarumque Roswitae monumentum novissime recuperatum et a se redemtum gratiose mecum communicavit. — Exemplum parum antiquum, vitiis non carebat. Leibnitz textum e Bodonis et Everhardi presbyteri scriptis eorrexit, neque vero duo MSS., id quod Fabricius l. c. tradidit, inspexit. Harenberg autem l. c. narret MS. vetus a Gertrude Abbatissa Henr. Bodoni mutuo datum, neque vero redditum esse, sed nunc (a. 1734) latere in eo coenobio, in quod monachi Clusinenses confugissent sub inductae religionis Lutheranae primordiis; atque eidem MSto. inesse carmina Hrosuithae de Anastasio I. et Innocentio I. Pontificibus. cf. Henr. Bordo. l. c.

III. et IV. Duo alia MSS., quae carmen de const. coen. Gandesh. continebant, Harenberg ipse mutuo accepit et textum ex iis emendavit, quae antiquiora et rationibus prosodicis manifestissima (l. c. p. 469) esse narrat, quorum possessores, (l. c. p. 1074) rei literariae faventissimi nominari sese noluerunt. Ubi haec MSS. nunc latent?

II. De vita.

De Hrosuithae vita nihil constat praeter ea, quae ipsa tradidit. Primum duas res affert, unde, quo anno nata sit, intelligi liceat. Indicat enim se longo tempore post Ottonis Illustris, Saxoniae ducis, mortem natam esse.[1])

---

1) De constr. coenob. Gand. v. 524 sqq. Harenberg. l. c. Postquam Ottonis, Odae filii, studium et amorem erga coenob. multis celebravit, haec:

Nos quoque permotae tantae dulcedine famae,
Nec dum maternis quae tunc erupimus alvis,
Sed fuimus vere longo post tempore natae,
Haud minus illius constanter amore flagramus,
Quam qui praesentem contemplabantur eundem,
Atque suae donis ditabantur pietatis.

Otto vero Illustris octo dies post natum Ottonem Magnum mortuus est, i. e. an: 912.[2]) Tum in praefatione ad carmina se natu majorem esse, quam Gerbergam Abbatissam commemorat.[3]) Ea vero filia Henrici rixosi erat, qui regiam dignitatem eo nomine affectabat, et Ottoni fratri insidias et seditiones parabat, quod Henrico I., cum is rex factus fuisset, ipse primus esset filius natus. Itaque Henricus rixosus natus est post annum 919. Ubi sub finem a. 941 in Ottonis fratris gratiam rediit et se bellum civile movisse aegre tulit, Gerberga jam nata erat[4]) et postquam a. 945 pater Bavariae principatum obtinuit, in monasterium Gandeshemense perlata et Windelgardi abbatissae tradita

2) ibid. V. 562 sqq.:

Scilicet ante dies octo totidem quoque noctes.
Quam ducis occasus miserabilis accidit hujus.
Ipsius nato, regi quandoque futuro,
Nascitur Henrico famosus filius Oddo.

Praef. in carmina. Schurzfl. pag. 70: Primo sapientissimae atque benignissimae Riccardis magistrae aliarumque suae vicis instruente magisterio, deinde prona favente clementia Regiae indolis Gerbergae, cujus nunc subdor dominio abbatiae, quae aetate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior aliquot auctores, quos ipsa prior a sapientissimis didicit, me admodum pie erudivit.

4) Everhardi presbyteri versus de fundat. et incrementis Gandesh. ecclesiae a. 1216 ex chronico antiquo ejusdem eccl. latino concinnati. Harenb. p. 476 sqq.: Henricus regnum appetivit,

God unse here des aver nicht en wolde,
mit sinen gheiste verstorde he des broders hat;
an sin ghemode quam den Hertoghen dat,
wu he Gode wat leves denstes dede,
unde also he hirumme mennighen danken hedde;
mit sines eghen harten wart he to rade,
dat he sine alleinen dochter, de he hadde
Gode to hulden unde to oppere ghewen wolde.
Unde do he sines herten rad ervüllen scholde,
dar to Gandersem quam he by slapender tyd,
wente sinen dat en wolde he oppern nyd;
an de cappellen quam hé, unser Vruwen ghenannt,
de nygens, als eck in dem bocke hebbe bekant,
eyn ebdische Windelgard ghebuwet hadde,
dar bad he öme bringhen Godes blod vil drade
und vullenbrachte dar sinen salighen môt,
mit ghelofte gab he darup dat vil hilghe blod.
Sine eghene dochter de was Gerborch ghenant.

cf. init. cap. 34:

do de hertoghe wedder was to Beyern gekomen,
— — — —
unde alle dat ricke was daraf vlide ü. vro;
seyd nicht en sümede de hertoghe do,
to Gandersem gaf he siene dochter — .

est, cujus dignitatem vix adulta an. 959 excepit. Itaque Gerbergam cir. a. 940 natam esse constat. Eo modo compertum habemus Hrosuitham diu post an. 912 et ante a. 940 natam esse, ita ut annum natalem circa a. 930 ponentes non multum peccemus. Hrosuith nomen, quod ipsa in latinum transtulit (praef. in comoedias: Unde ego Clamorvalidus Gandeshemensis etc.) compositum est e voce hrôth (ahd. hruod) et suid (ahd. suind). cf. Lat. Ged. p IX. et Grimm. Gram. II. p. 354. De poetriae origine et gente nihil constat, nisi quod titulis MSti: Hrosuitha illustris mulier germana, gente saxonica orta traditum est. Varia et mira, quae allata sunt, ipsam aut e stirpe equestri de Rossow,[5]) aut regiae genti saxonicae propinquam prognatam fuisse,[6]) fide et historicis argumentis omnino carent; et quod ista ex uno libro in alterum irrepserint, similis oscitantiae in re literaria exemplum est, atque ridicula illa Hrosuithae imago in aes incisa,[7]) et Humfredi, rerum antiquarum cupidi, sententia: Hrosuitham in Anglia vixisse.[8]) Poetria partem quidem puerilis aetatis in monasterio degit et timide clam cunctis prima carmina secundum eorum argumenta librorum, qui fortuito praesto erant, composuit; nova invenit aut delevit, neque cum aliis communicare ausa est, ne, ut ipsa tradit, prohiberetur pro rusticitate. Luctam illam juvenilem ingenii cum rebus externis, clandestinam et quasi furtivam versuum compositionem ipsa in praef. ad carmina modeste et lepide exposuit.[9]) A Riccarde magistra iisque,

5) Mart. Frid. Seidel. Icones et Elogia virorum aliquot praestantium — Christoph. Saxi. Onomast. lit. T. II. p. 157. — Adeo Wachler l. c. p. 254.

6) Leibnitz, l. c. conjicit, Schmidt von Lübeck: Noldalbingische Blätter l. c. multis narrat. Neque haec quidem opinio, Hrosuitham propinquam fuisse Hrosuithae, abbat. Gandesh., quae an. 927 diem supremum obiit, praeter nominis fortuitam similitudinem ullam habet causam.

7) Seidel. Icon. et Elog. — Adeo Meibomii, Schurzfleisch et Joh. Matth. Schröckh. l. c. imaginem istam libris adjecerunt, quamquam vituperant.

8) Laurentius Humfredus Anglus cum Hilda Anglia confundit. cf. Schurzfleisch. praef. ad. lect.

9) — tanti ad perfectionem opusculi permultorum juvamine egeo, quanta in ipsa inceptione minus ulla proprii vigoris fulciebar sufficientia, quia nec matura adhuc aetate vigens, nec scientia fui proficiens, sed nec alicui sapientum affectum meae intentionis consulendo enucleare (add: *audebam*), ne prohiberer pro rusticitate. Vnde clam cunctis et quasi furtim nunc in componendis sola desudando, nunc male composita destruendo satagebam juxta meum

quae illi successerunt, et a Gerberga abbatissa, quae nonnullos antiquos scriptores poetriae explicavit, literarum initiis se imbutam esse confirmat; alio autem loco [10]) se et praeceptores accusans queritur, quod mentem non satis excoluerit. Hrosuitha pauper fuisse videtur. Speravit enim, cum puerili aetate primum versus componeret, ingenium sibi et artem poeticam, si aliis negotiis pecuniam parare non posset, ultimum fore subsidium. Locus ipse memoratu dignus: (praef. in carm. Schurzfl. p. 70.) versus composui, ne crediti talentis (leg. talentum) ingenioli sub obscuro torpens pectoris rubigine negligentia exterminaretur, sed sedulae malleo devotionis percussum aliquantulis (leg. aliquantulum) divinae laudationis referret tinnitum, quo, si occasio non daretur negotiando aliud lucrari, ipsum tamen in aliquod saltem extremae utilitatis transformaretur instrumentum. Eo vero mira illa sententia, Hrosuitham e gente regia ortam esse refellitur; quamvis enim simplex et angusta virginum monialium vita primis temporibus esset, ita ut Hathumoda, [11]) prima abbatissa Gand., mortua panni funerei, quibus corpus regiae prolis involveretur, deessent; tamen Ottonis M. aetate regiae genti nulla rerum externarum inopia esse potuit. Hrosuitha vitam intra muros monasterii degisse videtur, quieta et tranquilla, ornata Gerbergae et regiae stirpis favore, cui mox innotuerit necesse est. De morte nihil constat, ne hoc quidem, num Ottoni M. tanta pietate culto superstes fuerit. Novissima carmina inter an. 961—973 composita sunt, dum Otto II. rex creatus imperii socius erat. Itaque non satis accurate in Saxi. Onomast. l. c. et. aliis locis (cf. Schurzfl. praef. p. 17.) circa a. 980 floruisse traditur.

Quodsi ingenium et naturam spectas, duo potissimum sunt, quae legentis animum movent, pietas illa summa erga Ottonum gentem et sanctitas virtusque christiana;

---

posse (licet minime necessarium) aliquem tamen conficere textum ex sententiis scripturarum, quas intra aream nostri Gandeshemensis collegeram coenobii.

10) Epist. ad quosdam sapientes: — perspicax quoque ingenium divinitus mihi collatum esse agnosco, sed magistrorum cessante diligentia incultum et propriae pigritia inertiae torpet neglectum.

11) Agii Presbyteri vita S. Hathumodae. Harenb. p. 460. Ipsa Christum pauperem paupercula secuta tandem in hac vita effloruit, ut tempore dormitionis ejus neque funeri saltem necessaria ex suo adessent, sed alieno linteolo involveretur.

utrumque ex aetatis et loci natura non mirum. Coenobium enim Gandeshemense a majoribus Ottonis exstructum, auctum et cultum familiae ipsius regiae quasi pars erat et filiabus dignitatem, filiis laudes et receptacula addens principibus ipsis commodam ecclesiae sive Dei placandi occasionem offerebat. Saepe eo profecti sunt et magna cum liberalitate dona contulerunt, quoties otium, consilia, preces petiverunt. Itaque quid mirum, quod Hrosuitha eos coluit, a quibus ipsa colebatur. Alterum vero Hrosuithae proprium, quamquam ex aetatis studiis sanctissimum, etiam nobis sublime quoddam et altum est; poeticas tamen virtutes non optime adjuvit. Sanctitas enim vitae, quae illis temporibus placebat, contemtio rerum humanarum et vitae futurae continua laus poeticos sensus ad unum idemque semper impulerunt, atque hoc, quod poetria jejunium et humanarum rerum abstinentiam summi aestimavit, etiam legentis animo quodammodo jejunium movet. Ubique vero in Hrosuithae scriptis altum quóddam esse dulcis amoris contemtum et summa praemia in caelibes feminas post mortem conferri nuncupatur. Idem hoc argumentum sex comoediis, paene omnibus carminibus, in quibus sanctorum hominum vitae laudantur, adeo carmini de constructione coen. Gandesh. insertum muliebris scilicet animi documentum est, immoderati e saeculi studiis aut in amore, aut in amoris abstinentia. Eo vero efficitur, ut Hr. pulcrum quidem exemplum praebeat, quomodo validum ingenium ex aetatis studiis formari possit, saepe autem, quamvis ob sanctos mores et castum piumque carminum habitum veneranda sit, hoc lugendum, quod tam pauca et nonnunquam poeticae explicationi minus apta laude et carminibus digna existimaverit. Desunt enim sermoni omnia, quae e propria et germanica natura proficiscuntur, omnino epicarum fabularum, quarum tum notitia et usus floruere, vestigia, omnino fere externae vitae et humanarum rerum descriptio; adeo in panegyrico Ottonis, ubi omnia ad Ottonis laudem et gloriam referuntur, rebus ipsis commemoratis magis, quam descriptis.

Unde fit, ut vir germanicarum literarum studiosus praeter sacra illa studia non ita multa inveniat, quibus veterum rerum notitiam augere possit. Jam vero sermo in sacris rebus, quas ipsa ardore coluit, alacer, gravis, vigens; aliis locis languidus et lentus. Hrosuitha enim sermoni prompta, et personae in epicis fabellis saepissime multa verba proferunt. Id quidem laudabile et poetico utile colori, cum res, quae celebrantur, sacrae sint, ideo-

que fingendi et componendi nulla licentia; sed omnibus fere sermonibus idem incessus et duo tantum personarum et sententiarum genera, ut divino numine aut plenae sint, aut prorsus careant. In universum Hrosuithae ingenium satis excultum, natura simplex et casta, varietas autem, vigor et amplitudo desunt.

Etiam versuum sonus et sententiarum compositio cultum, prout illo saeculo licuit, exercitationem usumque indicant, neque vero eodem modo verborum et sententiarum copia, quam dignitate et splendore excellunt. Saepius enim eadem repetuntur et sicut rerum, coloris quoque et speciei non maxima varietas. Ex aetatis consuetudine multas voces, praesertim cum ipsi splendide et magnifice incedere viderentur, ut: pneuma, olympus, gaza, plasma, stemma, lucisator, senior (= princeps), altithronus, astriger, pollens, eous, protoplastus, perpes, rutilare etc. saepius cum admiratione quadam usurpavit. Muliebre praeterea ingenium immoderatus usus vocum diminutivarum indicat. Sic voces: homullus, locellus, fonticulus, atriolum, tribulus, amniculus, ocellus, sepicula, ducellus in eadem pagina repetitae offendunt, non raro congregatae ut in his versibus:

Aspexit nubem aere conspicuam
Juxta dulce caput Christi volitare famelli,
Instar candiduli denique pallioli. Gang.

Tum particulas nonnullas: namque, denique, quoque, etiam nimis, nimium (= valde), mage et similes temere ut lacinias secundum saeculi morem versibus injicere solet.

Propria ei sunt pauca, imprimis Plautina illa pronomina mis et tis. cf. Lat. Ged. p. X. Interdum Virgilii verba e sermone Hrosuithae elucent, ut: dictis haec fatur amicis. Hist. Beat. Virg. secundum hoc Virgilii: dictisque ita fatur amicis; nec mirum, cum Virgilii carminibus tum temporis poetae pro gradibus ad Parnassum uterentur. Eodem modo Hrosuithae comoediis Terentii verba inseruntur, id quod nonnullis locis severas fabulas comica quadam specie ornat.

Etiam e metricis legibus, quas medii aevi homines observabant, mira illa permixtio popularis indolis cum latinis praeceptis intelligitur. Irrepsit enim homoeoteleuton inter antiquos numeros, quod ab ipsis Latinis hic vel illic toleratum sensim fere omnia carmina implevit et metrica, quae medii aevi tempore nominabantur, et rythmica, quorum ratio et natura multo magis ad similis exitus copulam

impulit. Nonnulli quidem docti poetae homoeoteleuton vitare studebant, elucebat autem ex ipsorum carminibus iis invitis secundum saeculi ingenium. Addidit vero versibus proprium quendam et singularem habitum et sonum, mirum quidem, si cum casta consuetudine antiquorum hominum comparas, saepe autem gravem et jucundum; qui in versibus hexametris primum eo intelligitur, quod poetae eundem vel similem sonum in fine utriusque hexametri partis proferre conati sunt, ita ut homoeoteleuton insit et arsi penthemimeris vel hephthemimeris et thesi ancipiti sexti pedis. Pentameter versus, qui post Hrosuithae aetatem magis a poetis colebatur, quam priore tempore, e numeri natura meliorem homoeoteleuti usurpandi occasionem obtulit.

Auctum vero est illud epicorum versuum homoeoteleuton eo, quod in binarum syllabarum similem sonum provectum est, qui sicut in germanicis versibus fieri solebat, aut similitudinem tantum vocalium, quam nos assonantiam dicimus, aut justum eundemque exitum prae se fert. Eodem denique modo, quo in germanicis epicis carminibus homoeteleuton sensim ita mutatum est, ut ex unius versus duabus partibus in finem versuum cederet, nec jam utraque pars ejusdem versus, sed bini versus simili exitu conjungerentur (die strophe der Nibelunge); etiam hexametri versus similis sonus ita constitutus est, ut bini hexametri eodem fine colligarentur, priore consuetudine interioris homoeteleuti aut insuper servata, aut neglecta. Neque hic licentia substitit. Postremo enim nova et artificiosissima homoeoteleuta, conferenda cum polita et subtili lyricorum cantuum in lingua germanica compositorum constructione, versibus epicis inserta sunt et speciem eorum tantopere immutarunt, ut antiquum numerum vix cognoscas.

Omnium autem rerum, quae ad medii aevi studia in arte metrica mutatae sunt, vestigia in Hr. carminibus exstant, quae quamvis nonnunquam fortuito, nec consilio effectae appareant, tamen, cum quid gratum acciderit auribus demonstrant, hic paucis commerabuntur.

Versu hexametro Hr. in omnibus carminibus utitur; cum pentametro conjunctus est: 1., in dedicatione primi carminum libri ad Gerbergam abbatissam, in MSto et editionibus expressa ante Hist. Beat. Virginis. 2., in praefatione ejusdem carminis. 3., in praefatione Gangolfi. 4., in carmine ipso, quod Gangolfus inscribitur. 5., in dedicatione alterius libri carminum ante carmen falso Proterius inscriptum.

Homoeteleuton justum, quod ubique in Hr. carminibus exstat, hoc est:

Blandi suscip*iunt*, laetique per aera toll*unt*. Agn.
Credere nec pau*cis* sese praesumerat ip*sis*. Paneg.

vel in hephthemimeri:

Astantes evangeli*cis* praesul docet or*sis*. Theoph.
Ejusdem quoque pontifi*cis* dans oscula plantis. ibd.

nonnunquam plurium verborum simili sono efficitur:

Sintque tib*i* soci*i*, serv*i* qu*i* sunt simulacr*i*. Pelag.

Si vocalis in syllabarum fine posita est, ubique homoeoteleuton ex Hr. sensu efficiunt *o* et *a*, *ae* et *e*.

Moribus et faci*e* similem matri venerand*ae*. Paneg.
Ipso quippe lo*co*, sed pris*co*, ut prius hor*a*. Gandesh.
Cui conjunx erg*o* fuerat praenobilis Od*a*. ibid.

Vetustissima illa carmina in lingua germanica ad eam consuetudinem, quae alliteratio vocatur, composita unamquamque vocalem cum altera simili modo conjungunt, Hr. autem reliquarum compositionem vitavit, vel cum conjungeret, alio plerumque loco in versu ipso homoeoteleuton inserere studuit. Ita nonnunquam conjunguntur:

a et *ae*. Quae mihi non merit*ae* concedis gaudi*a* tant*a*. Beat. Virg.
a et *i*. Sed tradens ill*i* largitur praedia mult*a*. Gandesh.
e et *o*. Lilia ceu pulchr*o* rose*o* permixta rubore. Agn.
i et *o*. Finetenus merit*o* vulg*o* bene credula noti. Pelag.
o et *u*. Augusti juss*u* Romam deducitur erg*o*. Beat. Virg.

Praeterea Hr. in homoeoteleuto ponendo satis diligens est, et versus, quibus nullum vel non justum inest, raro occurrunt, ut:

Ac cito major*i* donatus munere jur*is*.

Homoeoteleuton vero bisyllabum saepe assonantiarum naturae simile:

Nec mora agn*oscunt*, nec contradicere p*ossunt*. Pelag.
Donec s*uccensas* rursus rutilare l*ucernas*. Gandesh.

adeo:

Qua bene serv*ata* fulget prae virginit*ate*. Pelag.

saepe justum invenitur:

Perfida nam Saracen*orum* gens indomit*orum*. Pelag.
Quos princeps col*eret*, sceptrum quicunque ten*eret*. ibid.
Talia moer*entem* blanditur voce par*entem*. ibid.
Agno cert*amen* modulando perenniter. *Amen*. ibid.

Etiam duo versus hexametri non raro homoeoteleuto conjunguntur in earum maxime sententiarum ordine, quibus antithesis quaedam inest, quod opponendi et efferendi studium ad vinculum quoddam externum afferendum monet:

Respice Hrosuith*am* miti pietate mis*ellam*,
Me tibi subject*am* devota mente fam*ellam*. Praef. in Pelag.
Atque suo tris*ti* se praesentando pa*renti*,
Fit res gaud*endi*, fuerat quae causa do*lendi*. Agn.
Haud gaudens inimic*orum* de morte su*orum*,
Sed plus tant*orum* moerens de caede vir*orum*. Paneg.
Dicentis j*ustum* de tristitia liber*andum*,
Nec non inj*ustum* pro justo mox fore *dandum*. ibid.
Fortunata sa*tis* nostrae republica g*entis*
Quae nimis imperio r*egis* regitur sapi*entis*. ibid.
Hic modo subl*imem* gaudens captaret hon*orem*
Quo prius ingent*em* fuerat perpessa d*olorem*. ibid.

Plurima in Paneg. Oddonum, carmine maxime polito et castigato. Semel adeo versus primus cum tertio, secundus cum quarto conjungitur:

Forsan gest*orum* plures scripsere tu*orum*,
Et sunt scriptu*ri* post haec insignia mul*ti*;
Sed non exempl*um* quisquam mihi praebuit *horum*
Nec scribenda prius scrip*ti* monuere libe*lli*. Praef. Paneg. ad Ott. M.

Quantitatem syllabarum ad leges medii aevi satis accurate observavit et nonnullis vitiis praesertim in iis carminibus, quae puerili aetate composuit, exceptis melius, quam poetae carminum Ruotlieb et Ecbasis inscriptorum. (cf. Lat. Ged. p. XX). In versibus hexametris elisionem omnino vitat; quae bis tantum, vel ter in primis, quae composuit, carminibus occurrit:

Dextra est continuo tentatrix debilitata. Beat. Virg.

etiam hiatus raro invenitur. Syllaba brevis, quae litera *m* finitur, ubi caesuram praecedit, producitur:

Exoptans vel summatim attingere saltim. Praef. Beat. Virg.

rarissime autem, si vocali finitur, quamquam plurimis medii aevi poetis haec consuetudo fuit, ut brevis vocalis, imprimis *a*, ictu caesurae longa redderetur. Nominum propriorum et vocum graecarum solutior est usus, ut lepido hoc versu:

Sephiphora, Zabel, Susanna, Rebecca, Abigea. Beat. Virg.

et: quīquĕ prŏtoplastes Praef. in Gang., quās prōtōplastes Gang., vidĭt Jŭdēōrum. Beat. Virg. bravĭum (*βραβειον*, brabīum Prud.), măchina etc. Multis locisīpsĭŭs, mulĭēris, mulĭērem, nēc etc. quae saeculi usu excusantur. Vitium est dēcus. Beat. Virg., sed hic versus:

Emissis ventibus aeribusque vagis. Gang.

mutandus est: Ventibus emissis etc.

Vocalem *o* in fine verborum et adverbiorum ubique ancipitem putat: celebrāndŏ pătroni, complēbo sĕcretum, s. dŭlŏ pullis, quantō crĕbrŏ signa viderent, rĕtrŏ tēmpŏră, servandō sēmper, rarō, citō grădĭentem; dŭŏ. Dionys; lustra duŏ celeri. Agn.

Mira est versus pentametri natura, quem Hr. e duobus versibus compositum putat, similem epicis stichis germanicis, ita ut et ea, quae in medio posita est, arsis brevis esse possit et hiatus, quem in hexametris non ponit, nullo modo offendat: cf.:

Quem doctrina *tua* construit egregia Ded. Beat. Virg.
Inclusum cunc*ta* qui regit imperio. Praef. Beat. Virg.
Et rerum tri*nam* ex nihilo machinam. Gang.
Consule de rost*ro* haec dedit egregio. Gang.

Tertius, quem attuli, versus cf. cum iis, quae de productione arsis dicta sunt.

Magis vero mira haec sunt:

Quae tibi purganda hic offero carminula. Ded. Beat. Virg.
Ludens dignare hos nunc modulos legere. ibid.
Prolambens arva haec irrigat atque tua. Gang.

primum eo, quod poetria hic elisione utitur, tum vero, quod in syllabis elidendis homoeoteleuton posuit, ita ut dicendum sit: purgandá‿ic, dignaré‿os, arvá‿aec, eodem modo, quo in germanicis versibus duae syllabae synaloepha conjunctae proferebantur.

Etiam homoeoteleuton non ubique justo loco servatum:

Floriger*i* dominum ipsius ergo loci. Gang.

et in hoc monstro:

Hrosuithae, roren | tis pie gratiolae. Praef. in Gang.

In hoc versu:

Et bene a me mercati utpote fonticuli. Gang.

a me delendum est.

II. De scriptis.

Quae Hrosuitha composuit, haec sunt. 1) octo fabulae, quibus sanctorum hominum vita et mors celebrantur. 2) sex fabulae ejusdem argumenti alterno sermone pedestri compositae, quas comoedias nominavit. 3) duo epica carmina majora, panegyrum Oddonum dico et carmen de constructione coenobii Gandeshemensis. Cuique earum, quas attuli partium praefatio pedestri sermone scripta, praecedit, comoediis in super epistola ad quosdam viros doctos. Nonnullis carminibus

epigrammata praeposuit, dedicationes vel praefationes inscripta.

Eadem scripta Henr. Bodo et Trithemius abbas commemorant. Praeterea autem carmina de Innocentio I. et Anastasio I. pontificibus, quorum reliquiae in ecclesia Gandesh. adorabantur, a Hrosuitha composita esse, Henricus Bodo narrat[12]). Sed nostra aetate nondum reperta sunt. Librum vero epigrammatum et epistolas, quas Trithemius (l. c.) se vidisse confirmat, nihil aliud esse puto, nisi id, quod sub praefationum, epistolarum et dedicationum nomine singulis scriptis praecedit. Adhortatio denique ad virgines sacras, quam Fabricius Bodonis librum secutus a Hrosuitha in pedestri sermone compositam esse affert (l. c. p. 834) injusta loci interpretatione orta est. Bodonis enim verba haec: Hrosuithae opera sunt: Ad virgines sacratas, castitatem et continentiam hortando, latino sermone conscripsit: in laudes Beatae Virginis elegiaco et hexametro versu librum unum etc. Sequuntur inscriptiones carminum et postea: Et praescripta quidem in lucem per calcographos edita habentur. Nimirum historia beatae virginis et quae sequuntur virginibus exemplorum instar scripta intelligantur. De vita sive hodoeporico Willibaldi et Wunibaldi, quod ad Hrosuith. omnino non pertinet, cf. Fabricius l. c. p. 481 et Act. Sanct. Jul. II. p. 501. B.

1) Fabulae, quibus hominum sanctorum virtutes et supplicia narrantur. Partem earum Hr. nondum adulta ad ea scripta, quae fortuito ei obvenerunt, composuit. Praecipue ad Hist. Beat. Virg. et Ascensionis dominicae ea pertinent, quae in praef. dicit: Si autem objicitur, quod quaedam hujus operis juxta quorundam aestimationem sumpta sunt ex apocrifis, non est crimen praesumtionis iniquae, sed error ignorantiae, quia quando hujus stamen seriei coeperam ordiri, ignoravi dubia esse, in quibus disposui laborare.

Hrosuitha haec carmina: Historiam beatae virginis, ascensionis domini, Gangolfi, Pelagii et Theophili Vicedo-

12) Leibnitz. I. c. T. III. pag. 712. Verum de fundatione coenobii Gandesiani versu hexametro scriptum opus, cui etiam beatissimorum Pontificum Anastasii et Innocentii vitas eodem genere metrorum contextas praemisit, pulveribus longissimis temporibus abditum, nostro vix aevo lucem vidit, aliquibus etiam foliis privatum. Taceo, quod et vetustate nonnullis in locis non litterae tantum, verum et totae sententiae absumtae sunt etc.

mini in unum librum conjunxit et Gerbergae abbatissae dedicavit; quem historia servi Proterii, Dionysii et Agnetis sequuntur, eodem modo epigrammate Gerbergae oblata. Historia beatae virginis de parentibus et de vita Mariae agit usque ad iter in Aegyptum absolutum. Poetria ipsa inscripsit: Historia nativitatis laudabilisque conversationis intactae dei Genitricis, quam scriptam repperi sub nomine sancti Jacobi fratris Domini. Iste liber idem est, qui insc. S. Jacobi Protevangelium in codice apocrypho novi testamenti. cf. Fabricius l. c. p. 831. Argumentum fabulae, quod praecedit, ab alio monacho additum est, ut argumenta reliquarum fabularum. Explicatio simplex est, ut libri illius verba anxie secutam esse poetriam cognoscas; optime ei descriptio fugae successit, quod plura, quae jucunde narrarentur, obtulit. Cum res in hoc itinere gestae pulcris fabellis clarissimorum poetarum etiam nostrae aetati notae sint, hic Legendam de palma et fonte, quae cum novis comparetur, exhibeo.

Maria in deserto sub palma residens longa fuga fatigata fructus arboris celsae desideravit, Josephus vero fontem et aquam appetivit:

At puer in gremio charae genitricis amandae
Accumbens palmam gaudens se vertit ad ipsam,
Functus et imperio, praeclare quippe, paterno
Ipsi continuo dicebat fronte serena:
Arbor flecte tuos summo de vertice ramos,
Ut, quantum libeat, de te mater mea carpat.
Dixerat, atque suis arbor fortissima jussis
Ante pedes Mariae parens inflectitur almae;
Fructu cumque suo penitus fuerat spoliata
Incurvata stetit, nec surgens alta petivit,
Opperit imperium Christi sed rite probatum.
Ipseque: te subito dixit nunc erige palma.
Ut sis lignorum post haec collega meorum,
Quae paradisiacis constant plantata locellis,
Ex radice tuo deduc extemplo secuti
Undas fonticuli fluitantes gurgite dulci.
Quae citius dicto complentur denique cuncta.
At prolis comites fontem lustrando recentem
Reddebant grates laetato pectore dulces,
Atque sitim lymphis tristem dempsere novellis.
Cumque profecturi deserti per loca vasti
Essent, ad palmam Jesus sic dixerat ipsam:
De te quippe meo praecepto palmula mando,

Angelus ut coelo veniens dilapsus ab alto
Tollat rite tuo ramum de vertice summo,
Nec non hunc ipsum plantet mox in paradisum;
Et tibi gloriolam super hoc jam confero tantam,
Vt post haec summi dicaris palma triumphi;
Et quisquis bello famose vicerit ullo,
De te vincenti dicetur protinus illi:
Ad palmam magni venisti namque triumphi.

E singulis rebus observetur prodigium virgarum, quo vir, cui Maria nuberet, cognosceretur. Quisque virgam attulit et in templo deposuit, Joseph electus est, quia columba ex ipsius virga volitavit. Conferatur istud cum sortibus veterum Germanorum. Grimm. Deutsche Mythol. p. 643.

Historia adscensionis Domini. Hrosuitha inscriptioni addidit: hanc narrationem Joannes episcopus e graeco in latinum transtulit. Carmen non magnum (150 v.), sonus idem, qui superiori fabulae; nihil singulare et proprium. Ex iis carminibus, quae sequuntur, duo: Teophili Vicedomini et adolescentis, qui Proterii servus erat, historiae de traditione in diaboli potestatem agunt. De Theophili fabula divulgata cf. Act. Sanct. Febr. I. p. 480 sqq. et Bruns, altplattdeutsche Gedichte. Hic, quod munus ecclesiasticum non adeptus est; ille, ut filiae herilis amorem sibi pararet, diabolo se chirographo tradiderunt, Jesum abdicantes. Sed diabolus in priore fabula a Maria, quae Theophilum, quanquam hic et ipsam abdicaverat, in tutelam recepit; in altera a S. Basilio coactus est, ut chirographum redderet. Theophilum ducit magus hebreus sub tenebris nocturnis trans urbem:

Intulit inque locum multo fantasmate plenum,
In quo tartarei steterant in veste coloni
Alba, candelas plures manibus retinentes,
Inter quos medius princeps residebat iniquus.

et simili modo in altero carmine; diabolus sedit inter medios daemones; sanguinis, atramenti loco adhibiti nulla vestigia; daemones diabolo inservientes lumina in manibus tenent; adhuc voces exstant: dem teufel das licht halten, et halte dir der teufel das licht! ita ut proprium quoddam et vetustissimum ei descriptioni inesse videatur. cf. Deutsche Myth. p. 566. Theophilus postremo fatale scriptum e somno expergefactus in medio pectore invenit, servus Proterii post majorem contentionem illud recuperavit. Nam cum poenitens a S. Basilio in aedem duceretur, diabolus sinistra

clam arrepta cum magna vi a limine retraxit, et a Basilio graviter his verbis compellatus:

Improbe fur regis facturam redde perennis!

latratibus auras implet et ad scriptum provocans de laesa fide queritur dicens:

Tempore judicii Christo monstrabo futuri.

Sed sanctus Basilius et populus continuis precibus effecerunt, ut scriptum ex aere decideret. cf. Deutsche Mythol. p. 571.

Tum vero carmina de Pelagio et Agnete vitam et supplicia hominum sanctorum tractant, qui quod amoris illecebras contemserunt, interfecti sunt. De priore fabula cf. Act. Sanct. Jun. T. V. p. 109; de Agnetis historia ib. Jan. T. II. p. 340 sqq. et Jul. T. II. p. 228. Prioris acerbum argumentum: Pelagius patris victi loco Abdrahemis, Cordubensis tyranni, vincula subit, regis turpem cupidinem movet, et quod fortiter resistit, crudelissime necatur. Sequuntur sepulturae miracula. Explicatio vero accurata et vigens, ita ut hoc carmen, Agnetis et Gangolfi historia excepta, melius quam reliqua compositum judicem. Cujus rei causa patet; composuit enim Hrosuitha non ad scripti libri argumentum, sed narrationem ex ore civis Cordubensis, qui Pelagium ipse noverat, accepit; quo factum, ut rei descriptio singula alacrius proponat. Verba Hr. in fine sacrarum fabularum haec: Ejus (historiam S. Agnetis dicit) omnem materiam, sicut et prioris opusculi (Dionysii), sumsi ab antiquis libris sub certis auctorum nominibus conscriptis, excepta superius scripta passione sancti Pelagii, cujus seriem martyrii quidam ejusdem, in qua passus est, indigena civitatis mihi exposuit, qui ipsum pulcherrimum virorum se vidisse et exitum rei testatus est veraciter agnovisse. Vnde si quid in illis falsitatis dictando comprehendi, non ex mea fefelli, sed fallentes incauta imitata fui. Agnes vero, cum amatorem sprevisset, in lupanar deducta est, sed ibi castitatem servavit et miraculum peregit. Postremo supplicia subiit. Argumentum hujus fabulae mitius, sonus jucundior. Ganeas poetria pluribus locis, in comoediis nimirum Abraham et Paphnutius inscriptis proponit et satis accurate describit, ita ut talium locorum usum Hros. tempore in Germania fuisse intelligere possimus. Tum vero hac fabula demonstratur, quo modo virgines suavitatem amoris contemnentes se cum Christo conjungi putaverint. Coelestem, id quod notissimum est,

sponsum ex ecclesiae ritu nominaverunt. Quodsi vero animus juvenilis, huic dicendi figurae quasi insistens, quaecunque in amore suavissima et jucundissima putat, in conjunctione coelesti cum sponso posita esse fingit; aliter fieri non potest, quin gaudia illa aeterna mortalibus sensibus subjiciat ac speret: fore, ut in coelo solatia damni acquirat. Sic magno cum ardore Hr. Christi formam et speciem externam describit, et voces: thalamus, amoris amplexus adhibentur ad conjunctionis dulcedinem describendam. Noster animus tanta fide et amore, cujus causa omnia fere vitae gaudia contemnuntur, movetur et admiratione misericordiaque afficitur. Ita Agnes sponsum laudat:

Cujus perpulcram mirantur denique formam
Solaris splendor lunae renitens quoque candor.

Necata parentibus dormientibus angelorum legione cincta apparet cum agno candido et dicit:

Et nunc in coelis illi conjungor amoris
Amplexu dulci, quem semper mente fideli
Colui —

Amatorem Agnes contemnit et ei sponsum coelestem describit:

Ille quidem talis me desponsavit amoris
Pignore, ceu sponsam clare donando corona
Atque meum gemmis collum cinxit pretiosis,
Auribus et resplendentes suspendit inaures,
Praebens ornatus varii claros mihi cultus.
Ipsius certe dulcedo fluxit ab ore,
Quae me lactavit dulci pastuque cibavit,
Ceu nectar mellis suavis vel copia lactis.
Insuper et thalamum mihimet construxit in aevum,
Lucentem gemmis variis aurique metallis,
Organa melodiis in quo resonando canoris
Carmen dulce mihi cantant per tempora saecli:
Et pariter sponsi laudes modulantia chari,
Illius affectum semper suadent mihi castum,
Affectu quem secreto quom cordis amabo,
Nulla puellaris pacior detrimenta pudoris.
Ast ubi forte sui merear complexibus uti,
Ejus in thalamum sponsarum more coruscam
Duci, permaneo virgo sine sorde pudica.
Cui debebo fidem soli servare perennem;
Ipsi me toto cordis conamine credo.

S. Gangolfi historia metro elegiaco composita est. argumentum fabulae gratum. Gangolfus vir probus vitam

degit sanctam et uxoris perfidae insidiis interficitur. cf. Act. Sanct. Maj. T. II. p. 642 sqq. Descriptio horti, quem Gangolfus 100 solidis emit, jucunda est, sed pluribus locis inserta hic exprimi non potest.

Dionysii denique fabula vitam Dionysii, sapientis Atheniensis, describit, qui in Aegypto astronomiae cum vacaret, e defectu solis tempore suppliciorum Christi deum esse mortuum cognovit et Athenas profectus ignoto deo aram exstruxit. Tum a Paulo apostolo baptizatus ecclesiae officiis se totum dedit et Parisiis Domitiano imperatore supplicia subiit. Hoc carmen lentius fluit; argumentum non validum, explicatio tenuis.

II. Accedo ad eas fabulas, quas Hr. ipsa comoedias inscripsit. Nomen earum esse prorsus fortuitum, quod poetria ad Terentii exemplar scripserit, facile ex argumentis fabularum perspicies. Etenim post sexcentos prope annos similis illius nominis fuit ratio, et quae Joh. Sachs ludis scenicis praeposuit, comoedias, tragoedias actusque distinguens, eandem fere fortuitam conditionem prae se ferunt. In praefatione comoediarum Hrosuitha tradit se Terentii fabulas imitatam esse (quarum tum temporis fama maxime inclaruerat), ut Christiani, qui hac scribendi genere delectarentur, pro meretricum vitiis, castarum virginum virtutes cognoscerent[13]). His vero verbis Hrosuitha indicat, qua in re similitudo harum fabularum cum Terentii comoediis posita sit. In utrisque feminarum vitae et mores proponuntur et verba sententiaeque e personarum ipsarum ore ad legentis animum veniunt. Praeter ea nulla similitudo neque ingenii, neque argumenti, ne personarum quidem vel compositionis. In universum enim fabulae istae nihil aliud sunt, nisi hominum sanctorum vitae in dialogos dispositae, quibus praeter sermones alternos alia quaeque ad opus scenicum necessaria desunt. De quibus scenice per histriones proponendis, id quod Gottschedio videtur fieri potuisse

---

13) Praef. in comoed. Plures inveniuntur catholici, cujus nos penitus expurgare nequivimus facti, qui pro cultioris facundia sermonis gentilium vanitatem librorum utilitati praeferunt sacrarum scripturarum. Sunt etiam alii sacris inhaerentis paginis, qui licet alia gentilium spernant, Therencii tamen figmenta frequentius lectitant, et dum dulcedine sermonis delectantur, nefandarum notitia rerum maculantur. Unde ego Clamorvalidus Gandeshemensis non recusavi illum imitari dictando, quem alii colunt legendo, quo eodem dictationis genere, quo turpia lascivarum incesta feminarum recitabantur, laudabilis sacrarum castimonia virginum juxta mei facultatem ingenioli celebraretur. etc.

Gallicanum in scenas distribuenti, cogitari nullo modo potuit. Nam compositae sunt, quae in monasteriis legerentur, ut antiquae illae, quas Hr. piarum virginum mente pellere studuit. In scribendis fabulis Hr. eodem modo, quo in carminibus Legendas, sit venia verbo, est secuta; liberius quidem, quod plura addidit, prout natura et conditio harum narrationum postularet, neque vero ita, ut argumentum mutaret; ubique enim fontis sacri quasi murmur audias, ubique sacri hominis mors et supplicium, etiamsi dialogo et dramaticae propositioni minime aptum est, finem fabulae efficit. Sermo quidem personarum ad puerile dicendi genus purus est et ingenuus, animus vero cum illius aetatis, tum Hrosuithae pius ac plane ex christiana doctrina pendens in his fabulis multo magis offendit, quam in epicis carminibus, cum dramatico habitu personae propius ad oculos quasi lectoris collocentur. Accedit, ut singulas personas distinguere nesciat, quae quidem ex paucis monasticis cogitandi principiis loquuntur et agunt, quamquam distinctio ejusmodi proprietatis, quae singularum personarum natura efficitur et moribus, multo magis ingenii est, quam usus. Quid multa? Facili negotio fabulas istas a muliere ex angustis cogitationum finibus conscriptas esse cognoscas ultra vitam monasticam non tendentibus. Verumtamen fabulae istae idcirco vel maximi sunt momenti, quod clare nobis ostendunt, qua ratione medio aevo sint excepta et tractata, quae antiqui temporis ingenium protulerat. Videmus enim hic mentem in iisdem versari beatis angustiis, nec minus pendere e rebus praesentibus, nec magis esse idoneam, ut alienarum rerum conditionem sibi vindicet, quam in epicis illis antiquis carminibus, quae medii aevi poetae ad suum ingenium prorsus mutaverunt.

Quod ad tempus, quo Hr. comoedias composuit, attinet; ea post carmina illa sacra, sed ante carmina majora scripta esse puto. Ex epistola enim ad viros quosdam sapientes majorem quidem virium fiduciam, quam e praefatione ad sacras fabulas, neque vero famae et laudis in Hr. collatae, id quod e Panegyris Oddonum compositione intelligitur, fiduciam cognoscas. Sex scripsit comoedias, quarum prima Gallicanus inscripta hoc argumentum continet: Gallicanus, Constantini imperatoris dux, in bellum contra Scythas profecturus praemium victoriae postulat, ut Constantiam, imperatoris filiam, in matrimonium accipiat. Imperator cunctatus filiam adit quae ipsi confirmat se Christo sponso vitam dedisse. Gallicanus autem pia fraude suspensus tenetur; Artemiam et Atticam filias

Constantiae in tutelam tradit, ab ea Joannem et Paulum, viros sanctos comites accipit et in bellum proficiscitur. Proelio incepto Gallicanus, milites quod fugiunt et ipse in summis angustiis haeret, Joånne et Paulo suadentibus ad christianorum deum se convertit et auxilium implorat. Divinis auxiliis adjutus, hostes vincit, victis parcit, in urbem triumphans redit et ad ecclesiae limina tendens fidem christianam et vitam castam profitetur. Interea Constantia Gallicani filias convertit, Gallicanus imperatori laeto rerum summam narrat, et alacer christianus factus se exercitum ad fidem christianam conversurum esse et ecclesiae officiis prorsus vacaturum proponit. Hic finis fabulae. Verumtamen ne supplicia et exitus desint, huic comoediae altera pars adjuncta est, quam Hr. actum secundum nominavit, in quo brevibus Gallicani, Joannis et Pauli supplicia sub Juliano imperatore explicantur. Qua ratione poetria per locorum et temporis spatia transsiliat et summam rei paucis verbis absolvat, ex initio alterius partis intelligatur, quod exhibeo:

Julianus. Incommodum satis probatur nostro imperio, quod christiani libero utuntur arbitrio et jactant se leges debere sequi, quas accipiebant temporibus Constantini.

Consules. Turpe, si pateris.

Jul. Non paciar.

Cons. Decet.

Jul. O milites accingimini, et nudate christicolas possessionibus propriis objiciendo sentenciam Christi dicentis: qui non renunciaverit omnibus, quae possidet, n. p. t. m. u. e. s. p. t.

Milit. In nobis non erit mora.

Cons. En milites revertuntur.

Jul. Secundusne est vester reditus?

Milit. Secundus.

Jul. Et cur tam citus?

Milit. Dicemus. Castella, quae Gallicanus sibi retinuit, decrevimus intrasse tuaeque servituti usurpasse, sed si quis ex nostris pedem admovit, leprosus seu energuminus est factus.

Jul. Revertimini, ipsumque compellite, vel patriam deserere, vel idolis sacrificare.

Gillacanus. Ne fatigemini o milites inutilia suadendo, quia in aestimatione aeternae vitae floccifacio, quidquid habetur sub sole; unde patriam desero, et exsul pro Christo Alexandriam petooptans ibidem coronari martyrio.

Milit. Gallicanus ut jussisti patria expulsus Alexandriam

petiit, ibique a Raucione comite tentus gladio est peremptus.

Gottsched. Nöth. Vorr. II. p. 20—37. priorem Gallicani partem in germanicam linguam transtulit.

Alterius comoediae Dulcitius inscriptae et sextae, quae Fides, Spes et Charitas nominatur, simile argumentum. Tres sanctae castaeque sorores in utraque in judicium trahuntur, et quod christianum cultum non abdicant, supplicia subeunt. In altera comoedia Dulcitii improbus amor erga sorores vesania mentis punitur; qui cum eas in custodiis clam adit, ipsarum loco ollas osculatur et fuligine pollutus miserabilem aspectum efficit. Lepidum locum exhibeo:

Dulcitius. Quid agunt captivae sub hoc noctis tempore?

Mil. Vacant hymnis.

Dulc. Accedamus propius.

Mil. Tinnulae sonitum vocis a longe audimus.

Dulc. Observate pro foribus cum lucernis, ego autem intrabo et vel optatis amplexibus me saturabo.

Mil. Intra; praestolabimur.

Agape. Quid strepit prae foribus?

Hyrene. Infoelix Dulcitius ingreditur.

Chironia. Deus nos tueatur.

Aga. Amen.

Chir. Quid sibi vult collisio ollarum, caccaborum et sartiginum?

Hyro. Lustrabo. Accedite quaeso, per rimulas prospicite.

Ag. Quid est?

Hyr. Ecce iste stultus mente alienatus aestimat se uti nostris amplexibus.

Ag. Quid facit?

Hyr. Nunc ollas molli fovet gremio, nunc sartagines et caccabos amplectitur mitia libans oscula.

Chir. Ridiculum.

Hyr. Nam facies, manus ac vestimenta adeo sordida, adeo coinquinata, ut nigredo, quae inhaesit, similitudinem Aetiopis exprimat.

Aga. Decet, ut talis appareat corpore, qualis a diabolo possidetur in mente.

Hyr. En parat egredi, intendamus, quid illo egrediente agant milites pro foribus expectantes.

Mil. Quis hic egreditur daemoniacus vel magis ipse diabolus? Fugiamus.

Duc. Milites, quo fugitis? state, expectate, ducite me cum lucernis ad cubile etc.

Locus satis apte compositus ob id Hr. melius successit, quod hic in epica narratione vis scenica est posita. Reliqua non eodem modo jucunda. Sextae comoediae amator non inest, sed mater, quae filias admonet, ut fortiter mortem subeant, et postremo in tumulo earum moritur. Neutrius fabulae argumentum scenicae formae aptum.

Neque magis in tertia fabula, quae Callimachus inscribitur. Callimachus amore in Drusianam, castam Andronici uxorem, incensus ab amicis petit, ut studia sua adjuvent. Fabula incipit

Call. Paucis vos amici volo. Amic. Vtere quantum libet nostro colloquio.

Neque vero secundum eventum ei promittunt, sed vituperant. Tum solus D. accedit et amore scelesto ita eam terret, ut mortem sibi exoptet. Moritur, et a conjuge et S. Johanne apostolo in sepulcro ponitur. Sed vesanus Callimachus ne tunc quidem perterritus, Fortunato servo suadente sepulcrum adit, ut incestum cum mortua exerceat. Ingens autem serpens ipsum et pravum amicum interficit. Tum Johanni et Andronico advenienti Jesus ipse apparet et imperat, ut Callimachum et Drusianam in vitam revocent. Callimachus expergefactus subito in poenitentiam vertitur et Christi laudes tollit. Drusiana ipsa Fortunatum suscitat. Hic autem se mori malle, quam Christum colere dicit et extemplo exanimis concidit. Postremo deus laudatur. Etiam haec fabula non ita multa, quae grata sunt, continet; argumentum saevum, Callimachi conversio inepta est, nam simul atque exsurgit, probus est factus. Multo vero gratius quartae et quintae fabulae, Abraham et Paphnutius inscriptarum argumentum est. Utraque conversionem et poenitentiam meretricis cujusdam, Mariae et Thaidis, per istos eremitas paratam continet. Abrahami historia praeterea ob id animum movet, quod Maria meretrix ipsius propinqua est, quam puellam erudivit et toto pectore amavit, donec ab amatore raperetur. Uterque, Abraham et Paphnutius, sub amatoris specie puellam adit, perturbat et in viam salutis reducit. Paphnutii comodiae argumentum, cum idem fere quod Abrahami esset, poetria docto dialogo metaphysico ornavit, qui memoratu dignissimus, hic, quod longior est, exhiberi non potest. Libri, ad quorum argumenta Hrosuitha hunc sermonem philosophicum instituit, non exstant. Fabulae ipsi longam dissertationem non utilem esse, facile intelligitur. Hoc quidem ipsum fabularum scriptionem juvat, quod personae ex argumento magis loquuntur, quam agunt, et quod sensus

et sententiae explicatae a poetria ipsa summo ardore cultae sunt.

Sermo comoediarum pedester; sententiarum exitus plerumque homoeoteleuto conjunctus est. Quod cum versus implevisset et similis sonus ut ornamentum quoddam veteri splendori adjectum auribus placeret, etiam in pedestri oratione ita adhibebatur, ut, quod in versibus lex esset, hic non displiceret, praesertim cum eleganter et concinne verba facere esset in optatis. Etiam Hrosuitha poetam imitans dum antiquis versibus numerum quendam inesse sentiret magis, quam cognosceret, similem suavitatem allatura homoeot. et artificiosam verborum seriem instituit, quam in comoediis admiramur. Neque vero tantopere appetivit, ut sententiarum ordinem turbaret et legentis offenderet animum; atque nonnunquam similis exitus non tam certo studio, quam casu conflatus videtur, urgente aurium consuetudine.

Jam vero ex ipsis illis fabulis in formam dramaticam redactis patet Hrosuithae tempore nulla fuisse in Germania ludorum scenicorum vestigia, quae respici ab illa potuissent. Etenim si exstitissent, vix tot locos epicos inveniremus, quibus novum quoddam et inauditum scenicam formam fuisse patet. Sic descriptio suppliciorum, quae homines sancti perpessi sunt, sic initium alterius Gallicani partis, sic locus ipse e Dulcitio allatus, quo Dulcitius vesanus ollis et lebetibus fuligine obductis maculatur, et multa alia demonstrant poetriam haesitavisse, quo modo fabulae argumentum singularum personarum partibus attribuendum esset. Neque vero Hrosuithae fabulae, quae proprie quidem, sed, quod scimus, prorsus singulatim ex antiqua comoedia manarunt cum aliis virorum doctorum scenicis ludis sub finem saec XV. scriptis comparari possunt, qui ad germanicam consuetudinem magis, quam ad antiquarum fabularum ordinem compositi sunt. Fontes autem, e quibus Germanorum ars scenica est deducenda, longe alii sunt, neque cum antiquitatis studiis conjungendi. Namque fundamentum fabulae germanicae est proprium et ingenuum, quod prodiit ex priscis populi moribus junctis cum solemnibus paschalibus, quae christianorum cultus secum tulit; ubi denuo nobis cernere licet illam, quae totum medium aevum distinguit, contentionem inter duo principia sibi prorsus contraria, christianam dico doctrinam cum suis ritibus et veteres consuetudines gentiles. Etenim ex quo christianus cultus erat inductus, tempore paschali, in quod et sanctissimum christianorum festum et ethnica quaedam solemnia inciderunt, ecclesiae principes

consuetudinibus et petulantiae plebis vel maxime indulserunt. Quo factum,-ut choreae gentiles, mimi ad veterum deorum cultum pertinentes, joci, incessus hominum personatorum, et artes hominum vagorum, qui vocantur, proxime ab aede et in aede ipsa post ritus sanctissimos agerentur. Id quidem haud raro vituperatum, saepius toleratum, in universum ipso ecclesiae ritu, ut qui sensus vel maxime irritaret, adjutum est. Qui ritus cum paschali tempore ex vetustissimis temporibus nonnulla haberet peculiaria et propria, tum sub init. saec. IX. morem illum Christi mortem, sepulturam et resurrectionem symbolice proponendi induit, qui sensim auctus rerum scenicarum initia effecit. Actio enim illa simplicissima, quae usque ad nostrum tempus ab ecclesia catholica est servata, ut Christi de cruce pendentis imago in sepulcro die Veneris deposita die solis magna cum laetitia tollatur, juncta est cum cantibus alternis, quibus Christi supplicia et resurrectio proponebantur; atque ad cantus cum singulorum, tum chori accesserunt vestimenta e personis diversa, manus et habitus, eorum instar, quibus plebs jam dudum in coemeteriis, adeo in ipsa aede utebatur. Hac igitur ratione ludi scenici ab initio nihil aliud erant, nisi sacrae cultus christiani actiones plebis gratia oculis subjectae, quarum priores, mortis et sepulturae dico, die Veneris, tertia die solis prima luce agebantur. Mysteriorum vero nomen a re ipsa petitum, quod sepultura et resurrectio mysticum quoddam habebat et sanctissimum. Primi isti ludi sacri summam simplicitatem et gravitatem prae se ferebant. Cantus sacri singularum personarum sermonibus aucti sunt, parvus agentium numerus, sermo latinus, sacerdotes histrionum munere fungebantur. Verumtamen ubi eo usque vulgi animo fuit indultum, non jam potuit impediri, quominus sensus laicorum vim suam exerceret et ludos simpliciter et caste institutos magis magisque immutaret. Lingua enim germanica, populares personae et festiva vagorum joculatorum licentia irrepserunt et mysteria tantopere auxerunt, ut ecclesiae et spatium et disciplina iis arctior esset facta et uti fructus maturi ab arbore, in qua creverant, sic a ritibus ecclesiasticis omnino dissolverentur. Talem quidem conditionem ludi illi sub fin. saec. XV. nobis demonstrant. Jam vero tempus, quo mysteria scenice institui coepta sunt, inter Hrosuithae aetatem et saec. XII. positum esse oportet, quo saeculo solemnia ista jam usum ut consuetudinem habuisse Werinheri ludus paschalis clare demonstrat. Accuratior rei expositio libro de scenica Germanorum poesi mox prodituro permittatur.

III. 1. Panegyris Oddonum. Hrosuitha hoc carmen inter an. 961—968 composuit. Nam et Otto II. qui a. 961 rex creatus est, tum eandem dignitatem obtinuit, quod ex epigrammate ad Ottonem II. carmini praemisso intelligitur, et Wilhelmus archiepiscopus Coloniensis, Gerbergae abbatisssae amicus, qui a. 968 ante VII. Id. Mart. mortuus est, adhuc vixit 14). Abbatissa poetriam monuerat, ut imperatoris gesta carmine celebraret, et Otto II. se carmen inspicere velle dixerat. Panegyricum praecedit epistola ad Gerbergam abbatissam sermone pedestri conscripta et epigrammata ad Ottonem I. et Ottonem II. Haec epistola lepidum exemplum ejus elegantiae est, qua medii aevi tempore homines utebantur; urbana enim modestia et facetia, subtilis et blandus sermo ubique elucent. Hrosuitha in ea narrat se scripto argumento non esse usam, sed ea tantum composuisse, quae fama et rumoribus accepisset. Atque id ipsum et hoc, quod summa cum pietate regiam domum colebat, integritatem et justam accuratamque rerum seriem deturbat. Ubique enim Ottonis laus inseritur, Henrici fratris turbae timide et caute narrantur, effertur saepissime probus principum animus, Luidolfi filii, Thancmari fratris seditiones, bella contra Slavos et Avaros vix commemorantur. Carmen incipit ab Henrico rege, cujus tres filii Otto, Henricus et Bruno laudantur. Otto Eaditham in matrimonium ducit et rex coronatur. Sequuntur Henrici, Eberhardi et Gisberti seditiones non satis accurate descriptae. Copiosius Henrici reconciliatio cum fratre narratur. Tum expeditiones in Italiam, Berengarii insidiae, Adelheidis fortuna, postremo dignitas imperialis restituta sequuntur. De iis rebus, quae ad historiam pertinent, cf. Voigtel. Gesch. d. deutschen Reiches unter Otto dem Grossen et: Vehse. Das Leben und die Zeiten Otto des Grossen. Quamquam autem in universum Witichindi et reliquorum illius temporis scriptorum fides et aestimatio in rebus historicis major sit, tamen nonnulla Hrosuithae sunt propria, quae libb. citt. invenies. Hic praeter Henrici poenitentiam Adelheidis historiam commemoro, cujus fuga e vinculis Berengarii quasi in episodii longitudinem aucta est. Est ista optima pars hujus operis. Nam narratio alacris et copiosa, ipsius fugae quisque legentium quasi particeps est, quum legat, quo modo Be-

14) Epist. ad Gerbergam: vestro autem vestrique familiarissimi, cui hanc rusticitatem sanxistis praesentatum iri, scilicet archipraesulis Wilhelmi judicio, quocunque modo factum sit, aestimandum relinquo.

rengarius cum equitibus fugientes persecutus ligno hastarum frumenti acervos, sub quibus latuerunt, disjici jusserit, neque vero, quos Deus tuitus est, comprehenderit. Fortasse poetria ab Adelheide ipsa rei descriptionem accepit, certe in monasterio Gandesh. ea, quae ad rem domesticam principum pertinebant, notissima erant. Quamvis autem multa in hoc carmine desiderentur, tamen, quae scripta sunt, cultum et elegantiam sermonis produnt dignam summi imperatoris persona. Inscriptio non est apta, cum Ottonis II. nomen in carmine ipso vix commemoretur, et finem argumenti annus 960 efficiat. E singulis rebus, quae rerum germanicarum notitiam augere possint, pauca tantum memoratu digna sunt: Saxorum gens etiam ex Hrosuithae sententia nomen a lapidibus accepit:

— — (gentem Saxonum) nomen habentem
a saxo per duritiem mentis bene firmam.

cf. Deutsche Mythol. p. 204. — Cum Ottoni Aditha uxor electa esset, legati in Angliam missi sunt, qui Eaditham, filiam Edvardi mortui a rege fratre peterent. Illa Ead. pulcra fuit et summa laude digna; neque id mirum, cum beati Oswaldi proles esset. Rex sorori suasit, ut Ottoni nuberet, atque eam cum comitibus et preciosis donis trans mare misit una cum Avida sorore, ut Otto alterutram sibi eligeret, quo sic majorem prorsus conferret honorem Ottoni. — Postremo cum Luidolfus filius Idam Hermanni, Francorum et Suevorum ducis, in matrimonium duxisset, Otto I.:

Illam nec habitare locis voluit segregatis
Rex idem nati digne suspensus amore,
Sed ceu reginam regnum transire per amplum.

Migrare illud proprium regiae dignitati habebatur.

2. Carmen de constructione coenobii Gandeshemensis similem prae se fert conditionem. Poetria paucis verbis praemissis Luidolfi et Odae uxoris historiam narrat. Oda a Joanne Baptista ipsi apparente adhortatur, ut coenobium exstruat; et marito ad idem consilium inducto virgines conjungit et Hathumodam filiam antistitem eligit. Tum Romam profecti a Sergio papa privilegia et sanctorum reliquias petunt, qui Anastasii et Innocentii tribuit. Prodigio locus ecclesiae aedificandae, alio prodigio lapides inveniuntur. Luidolfus ante opus perfectum mortuus est, fortasse ut Oda vidua omnia studia in coenobium conferre posset. Hathumodam mortuam Gerberga, altera Odae filia secuta est, quae quamquam Bernhardi, viri illustris, sponsa erat, amorem tamen et mundana gaudia contemnens, in

monasterium se contulit. Coenobium sonsecratur, Oda ut genius loci in eo versatur et voluntatem studiaque gentis suae erga monasterium incitat et auget. Gerberga mortua, Christina, tertia Odae filia abbatissae dignitatem excipit. Sequuntur Ottonis Illustris, Odae matris, postremo Christinae obitus et laudes.

Quae ex hoc carmine ad historiam pertinent, allata in libris supra laudatis, plura et magis propria sunt, quam in panegyrico Ottonis, sed germanicarum rerum etiam hic pauca vestigia. — Primum luminum splendor locum indicat exstruendi aedificii. Faustus apparet, quamquam in silva diabolicis rebus plena conspicitur. Cf. Deutsche Myth. p. 340.:

Nec mora, cum nebula terras nox texerat atra
Vndique silvestris per gyrum denique vallis
Ordine disposito cernuntur lumina plura
Quae simul arboreas umbras noctisque tenebras
Clare pollentis scindebant luce nitoris.

Ita ut ignes fatui, vel tale quid, etiam secundum omen effecisse videntur. cf. D. M. p. 513; an quod dies faustus erat, cunctorum sanctorum festum?

Tum vero silva ipsa spectris repleta est:

Sylvestremque locum Faunis monstrisque repletum
Fecit mundatum divinis laudibus aptum.

Fauni et monstra sunt, qui germanice waltschrate, scrato, pl. scratun; latine vulgo pilosi nominabantur. cf. l. c. p. 270 sqq. Natura eorum maxime satyris et faunis similis est; memoria, adeo verecundia et veneratio ubique in Germania floruit, et nonnullis vestigiis usque ad nostra tempora servata est, quia ea numina, quae e natura et indole cum singulis rebus, arboribus, aqua, fontibus, specubus conjuncta esse habentur, multo longiorem quasi vitam degunt, quam ea, quae altiorem et sublimiorem naturam prae se ferunt. Lapides, ex quibus monasterium exstructum est, columbae volatu Hathumodae indicantur, cf. weisende thiere l. c. p. 663. Columba vero candida e christiana doctrina partes corvi, cuculi et aliarum avium accepit; eodem modo in Histor. beat. Virginis et in Abrahami somnio augurium efficit.

In universum in hoc carmine argumentum melius et accuratius quam in panegyri Oddonum narratur, quod res poetriae plane notae erant et locus et opportunitas argumenti stimulabant. Optimum est episodium Gerbergae cum Bernhardo sponso, qui virginem severe et fortiter vituperat, quod promissi immemor esset facta. In bellum profectus

cecidit, Gerberga in monasterium perrexit. Cf. de toto carmine Nordalb. Blätter I. p. 6 sqq.

Adjeci huic dissertationi de Hrosuithae vita et scriptis scenicam poetriae fabulam Abraham inscriptam, quae ingenium Hrosuithae et fabularum naturam iis viris, qui ab incultis studiis monasticis non abhorrent, patefaciat velim, donec nova editio, quam optamus potius, quam exspectamus, faciliorem efficiat usum. Fabula expressa est secundum Conr. Celtis editionem, quia, quae Schurzfleisch mutavit, praeter mendas typographicas et ineptam interpunctionem, quas addidit, paucissima sunt.

Abraham.

Abraham, Effrem, Maria, Interlocutores.

Abraham. Tune frater et coheremita Effrem commodum ducis meae adhuc confabulationi vacare, an quoadusque divinas expleas laudes me vis praestolari?

Effrem. Nostrorum confabulatio ejus debet esse laudatio, qui se congregatis in suo nomine medium spopondit interesse.

Abr. Nihil aliud locuturus accessi, nisi quod divinae voluntati non nesio commodari.

Effr. Quare nec ad momentum quidem me subtraho, sed tuo affectui totum dedo.

Abr. Quiddam agendum mihi exaestuat mente, in quo tuum velle meis votis exopto respondere.

Effr. Si unum cor unaque anima jubetur esse idem velle, idem cogimur nolle.

Abr. Est mihi neptis tenella utriusque parentis solamine destituta, in quam pro compassione orbitatis nimio affectu ducor, cujusque causa continua sollicitudine fatigor.

Effr. Et quid tibi triumphator saeculi cum curis mundi?

Abr. Id scilicet curo, ne immensa ejus serenitas pulcritudinis alicujus obfuscetur sorde coinquinationis.

Effr. Hujusmodi cura non est vituperanda.

Abr. Spero.

Effr. Cujus est actatis?

Abr. Si unius rotatus mensurni apponeretur, duas olimpiades vitali aura vesceretur.

Effr. Immatura pupilla.

Abr. Ideo non mihi deest cura.

Effr. Ubi degit?

Abr. In meis mansiunculis. Nam rogatu propinquorum nutriendam eam suscepi; sed ejus gazas pauperibus erogare decrevi.

Eff. Despectio turpalium condecet animum coelo intentum.

Abr. Exaestuo mente gestiens illam Christo desponsare ejusque tirocinio mancipatum ire.

Effr. Laudabile.

Abr. Cogor nomine.

Effr. Quid vocatur?

Abr. Maria.

Effr. Ita est; tanti excellentiam nominis decet stemma virginitatis.

Abr. Non diffido, quin si nostris suaviter hortamentis provocetur, ad cedendum facilis experiatur.

Effr. Accedemus, ejusque cogitationi caelibis securitatem vitae instillemus.

Abr. O adoptiva filia, o meae pars animae Maria, cede meis paternis monitionibus, meique comparis Effrem saluberrimis institutionibus enitere, ut auctricem virginitatis, quam aequivoco aequiparas nomine, imiteris et castitate.

Effr. Multum disconvenit filia, ut quae cum Dei genitrice Maria per mysterium nominis praeemines in axe inter sidera nunquam casura, inferior meritis in terrae volutes infimis.

Mar. Mysterium nominis ignoro, unde, quid circuitione verborum significes, haud intellego.

Effr. Maria interpretatur *stella maris*, circa quam videlicet fertur mundus, et vocatur populus.

Mar. Cur *maris stella* dicitur?*)

Effr. Quia nunquam occidit, sed navigantibus recti semitam itineris dirigit.

Mar. Et quo posset fieri, ut ego tantilla ex lutea materia confecta eo attingerem meritis, quo mysterium rutilat nominis?

Effr. Illibata corporis integritate, puraque mentis sanctitate.

Mar. Grandis est honoris, hominem aequari astrorum radiis.

Effr. Nam, si incorrupta et virgo permanebis, angelis Dei fies aequalis, quibus tandem stipata gravi corporis onere abjecto pertransiens aëra supergradieris aethera, zodiacum percurres circulum, nec subsistendo temperabis gressum, donec amplexaris amplexibus filii virginis in lucifluo thalamo sui genitricis.

---

*) Cf. D. M. p. 417. Mariärok et sqq.

Mar. Qui haec parvipendet, asinum vivit. Vnde praesentia despicio, memet ipsam denego, quo merear ascribi gaudiis tantae foelicitatis.

Effr. Ecce, nanciscimur in pectore infantili senilis maturitatem ingenii.

Abr. Gratia dei est id, quod est.

Effr. Negari nequit.

Abr. Sed, licet dei gratia sit illustrata, imbecillem tamen aetatem suo uti non prodest arbitrio.

Effr. Verum.

Abr. Ideo faciam illi exiguam ab introitu cellulam, meis mansiunculis contiguam, per cujus fenestram psalterium ceterasque divinae legis paginas illam crebrius visitando instruam.

Effr. Convenit.

Mar. Tuo, pater Effrem, interventui me committo.

Effr. Coelestis sponsus, cujus affectui in tenella aetate inhaesisti, tueatur te filia ab omni fraude diaboli.

Abr. Frater Effrem, si quid mihi utriusque casu fortunae ingeritur, te primum adeo, te solum consulo. Vnde ne sis adversus querimonae, quam prosequor, sed fer opem dolori, quem patior.

Effr. Abraham, Abraham, quid pateris? cur plus licito contristaris? Nunquam fuit fas heremicolae conturbari saecularium more.

Abr. Incomparabilis luctus mihi contigit, intolerabilis dolor me afficit.

Effr. Ne fatiga me longa verborum circuitione, sed quid patiaris, expone.

Abr. Maria, mis adoptiva filia quam per bis bina lustra summa diligentia nutrivi, summa solertia instruxi.

Effr. Quid illa?

Abr. Ei mihi, periit.

Effr. Qualiter?

Abr. Miserabiliter; deinde evasit latenter.

Effr. Quibus insidiis circumvenit eam fraus antiqui serpentis?

Abr. Per illicitum cujusdam simulatoris affectum, qui monachico adveniens habitu simulata eam visitatione frequentabat, donec indocile juvenilis ingenium pectoris ad sui amorem inflexit, adeo, ut per fenestram ad patrandum facinus exiliret.

Effr. Contremisco auditu.

Abr. At ubi ipsa infoelix se corruptam sensit, pe-

ctus pulsavit, faciem manu laceravit, vestes scidit, capillos eruit, voces in altum ejulando dedit.

Effr. Nec injuria. Hujusmodi namque ruina toto lacrimarum fonte est lugenda.

Abr. Lamentabatur namque se, quod fuerat, non esse.

Effr. Vae illi miserae.

Abr. Lugebat se nostris contraria monitis egisse.

Effr. Ac valde.

Abr. Deflevit, se vigiliarum, orationum, jejuniique sudores evacuasse.

Effr. Si in tali compunctione perseveraret, salva fieret.

Abr. Haud perseveravit, sed pejora prioribus apposuit.

Effr. Visceratenus conturbor, totisque membris resolvor.

Abr. Postquam enim hisce lamentis se punivit, nimietate victa doloris praeceps ferebatur in foveam desperationis.

Effr. Eheu, quam gravis perditio.

Abr. Et quia veniam desperavit posse mereri, saeculum repetere vanitatique elegit deservire.

Effr. Hem, par victoria spiritalibus in sorte heremitarum nequitiis antea fuit insolita.

Abr. Sed nunc daemonum sumus praeda.

Effr. Mirum, qui fieri posset, ut te ignorante evaderet.

Abr. Interim fueram mente consternatus ex ostensae visionis terrore, qua, si mens non fuisset laeva, mihi praefigurabatur ejus ruina.

Effr. Vellem modum visionis audire.

Abr. Putabam me ante fores cellulae stetisse, et ecce draco mirae magnitudinis nimiique foetoris rapido impetu adveniens, candidulam secus me columbam repperiens, cepit, devoravit subitoque non comparuit.

Effr. Evidens visio.

Abr. At ego, ubi expergiscens mente, quae videbam, tractavi, verebar aliquam ecclesiae imminere persecutionem, quae fideles quosdam attraheret in errorem.

Effr. Verendum erat.

Abr. Unde prostratus in orationem praecognitori futurorum supplicavi, ut mihi detegeret solutionem somnii.

Effr. Recte egisti.

Abr. Tertia demum nocte cum lassa sopori membra dedissem, putabam eundem draconem meis vestigiis disru-

ptum volutasse, ipsamque columbam absque laesione emicuisse.

Effr. Laetificor auditu, nec ambigo, quin tua quandoque ad te revertatur Maria.

Abr. Postquam evigilans hujus solamine visionis temperabam tristitiam prioris, mentem recepi, ut reminiscerer alumnae. Illud quoque sine tristitia memini, quod ipsam in duorum intervallo dierum divinae innitentem laudi solito non sensi.

Effr. Sero meministi.

Abr. Fateor. Accessi, manu fenestram pulsavi, filiam saepius nominando vocavi.

Effr. Ah, frustra vocasti.

Abr. Hoc adhuc non sensi, sed cur negligenter in divinis ageret rogavi. Sed nec levis tinnitum responsi recepi.

Effr. Et quid tunc fecisti?

Abr. Ubi abesse, quam quaerebam, deprehendi, viscera discutiebantur timore, membra contremuerunt pavore.

Effr. Nec mirum; certe et ego id ipsum nunc patior audiendo.

Abr. Deinde flebilibus sonis auras pollui rogitans, quis lupus meam agnam raperet, quis latro meam filiam captivaret?

Effr. Jure conquestus fuisti ejus perditionem, quam nutrivisti.

Abr. Tandem accesserunt, qui veritatem scientes rem sese ita, ut tibi nunc exposui, habere ipsamque vanitati dixerunt deservire.

Effr. Ubi moratur?

Abr. Ignoratur.

Effr. Quid fiet?

Abr. Est mihi fidelis amicus, qui civitates villasque peragrans, non quiescet, donec, quae illam terra susceperit, agnoscet.

Effr. Quid, si experietur?

Abr. Habitum mutabo, ipsamque sub amatoris specie adibo; si forte meo monitu post grave naufragium revertatur ad pristinae quietis portum.

Effr. Etiam quid fiet, si carnium esus vinique haustus apponetur?

Abr Haud abrogabo, ne agnoscar.

Effr. Recta prorsus laudabilique discretione uteris, si arctioris frena observantiae aliquantisper laxabis, quo errantem Christo lucreris.

Abr. Eo magis ad audendum incitor, quo te mihi in hac concordari re experior.

Effr. Qui clancula cordium cognoscit, qua intentione unaquaeque res geratur intelligit; nec in discretissimo ejus examine reus praevaricationis habetur, qui a strictioris rigore conversationis ad tempus descendendo imbecillioribus assimulari non respuit, quo efficacius animam revocet, quae erravit.

Abr. Tuum est interim me precibus adjuvare, ne impediar diabolica fraude.

Effr. Ipsum summum bonum, sine quo nihil fit boni, faciat, tuum velle in bono consummari.

Abr. Num ille est meus amicus, quem ante hoc biennium pro inquisitu direxi Mariae? Ipse est.

Amicus. Ave venerande pater.

Abr. Ave affabilis amice, diu te sustinui, sed nunc advenire desperavi.

Am. Ideo moram feci, quia te ambigua re sollicitare non praesumpsi. At ubi veritatem investigavi, reditum maturavi.

Abr. Vidistin Mariam?

Am. Vidi.

Abr. Ubi.

Am. Qua dictu miserabile.

Abr. Dic obsecro.

Am. In domo cujusdam lenonis habitationem elegit, qui tenello amore illam colit. Nec frustra. Nam omni die non modica illi pecunia ab ejus amatoribus adducitur.

Abr. A Mariae amatoribus?

Am. Ab ipsis.

Abr. Qui sunt amatores?

Am. Perplures.

Abr. Ei mihi! O bone Jesu, quid hoc monstri est, quod hanc, quam tibi sponsam nutrivi, alienos amatores audio sequi?

Am. Hoc meretricibus antiquitus fuit in more, ut alieno delectarentur amore.

Abr. Affer mihi sonipedem delicatum et militarem habitum, quo deposito tegmine religionis ipsam adeam sub specie amatoris?

Am. Ecce omnia.

Abr. Obsecro, affer et pileum, quo coronam velem capitis.

Am. Hoc maxime opus est, ne agnoscaris.

Abr. Quid, si unum solidum, quem habeo, mecum aferam, quo stabulario pro mercede tribuam?

Am. Aliter ad colloquium Mariae non potes pervenire,

Abr. Salve, bone stabulari.

Stab. Quis loquitur? hospes salve.

Abr. Estne apud te locus viatori ad pernoctandum aptus?

Stab. Est plane. Nostra hospitiola nulli sunt neganda.

Abr. Laudabile.

Stab. Intra, ut tibi praeparetur coena.

Abr. Magna tibi pro hilari susceptione debeo', sed adhuc majora a te expeto.

Stab. Quae voles ut concessurum efflagita.

Abr. Accipe vile munus, quod defero, et fac, ut perpulcra, quam tecum observari experiebar puella, nostro intersit convivio.

Stab. Cur illam desideras videre?

Abr. Quia nimium delector in ejus agnitione, cujus pulcritudinem a pluribus laudari audiebam saepissime.

Stab. Quisquis laudator ejus formae extitit, nihil fefellit nam praenitet venusta vultu prae ceteris mulieribus.

Abr. Ideo ardeo in ejus amore.

Stab. Miror te in decrepita senectute juvenculae mulieris amorem spirare.

Abr. Percerte, nullius alius rei causa accessi, nisi eam videndi.

Stab. Procede Maria, tuique pulchritudinem nostro neophyto ostende.

Mar. Ecce, venio.

Abr. Quae fiducia, quae constantia mentis mihi posthac, cum hanc, quam nutrivi in heremi latibulis, meretricio vultu ornatam conspicio? sed non est tempus, ut praefiguretur in facie, quod tenetur in corde. Erumpentes lacrimas viriliter stringo, et simulata vultus hilaritate internae amaritudinem moestitudinis contego.

Stab. Fortunata Maria laetare, quia non solum, ut hactenus, tui coaevi, sed etiam senio jam confecti te adeunt, te ad amandum confluunt.

Mar. Quicunque me diligunt, aequalem amoris vicem a me recipiunt.

Abr. Accede Maria et da mihi osculum.

Mar. Non solum dulcia oscula libabo, sed etiam crebris senile collum amplexibus mulcebo.

Abr. Hoc volo.

Mar. Quid sentio? quid stupendae novitatis gustando haurio? Ecce, odor istius fragrantiae praetendit fragrantiam mihi quondam usitatae abstinentiae.

Abr. Nunc, nunc simulandum, nunc lascivientis more pueri jocis instandum, ne et ego agnoscar prae gravitate, et ipsa se reddat latibulis prae pudore.

Mar. Vae mihi infelici, unde cecidi, et in quam perditionis foveam corrui.

Abr. Hic non est aptus querelae locus, ubi convivarum confluit conventus.

Stab. Domna Maria cur suspiria trahis? cur mades lacrimis? Nonne per biennium hic conversabaris, et nunquam ex te gemitus prorupit, nunquam tristior sermo prodiit.

Mar. O utinam fuissem ante trium annorum spatia morte absumpta, ne ad tanta devenirem flagitia.

Abr. Non, ut tua peccata plangerem, adveni, sed ut tuo jungerer amori.

Mar. Levi compunctione permovebar, ideo talia fabar. Sed epulemur et laetemur, quia ut monuisti, hic non est tempus peccata plangendi.

Abr. Affatim refecti, affatim sumus ebriati tua largitate administrante o bone stabulari. Da licentiam a coena surgendi, quo lassum corpus in stratum componam, dulcique quiete recreem.

Stab. Ut libet.

Mar. Surge domine mi, surge, tecum pariter tendam ad cubile.

Abr. Placet. Nullatenus cogi possem, ut te non comitante exirem.

Mar. Ecce triclinium ad inhabitandum nobis aptum, ecce lectus haud vilibus stramentis compositus. Sede, ut tibi detraham calciamenta, ne tu ipse fatigeris discalciando.

Abr. Muni prius seris hostium, ne quis introeundi inveniat aditum.

Mar. Super hoc ne solliciteris; faciam, ut nulli ad nos tribuatur accessus facilis.

Abr. Tempus ablato capitis velamine quis sim, aperire. O adoptiva filia, o meae pars animae Maria, agnoscisne me senem, qui te paterno amore nutrivi, qui te coelestis regis unigenito desponsavi?

Mar. Ei mihi, pater et magister meus Abraham est, qui loquitur.

Abr. Quid contigit tibi filia?

Mar. Gravis miseria.

Abr. Quis te decepit? quis te seduxit?

Mar. Qui prothoplastos prostravit.
Abr. Ubi est angelica illa, quam in terris egisti, conversatio?
Mar. Prorsus perdita.
Abr. Ubi est verecundia tua virginalis, ubi continentia admirabilis?
Mar. Evacuata.
Abr. Quam mercedem, nisi resipiscas, pro jejuniorum, orationum, viligiarum sudore ultra potes sperare, cum velut lapsa ab altitudine coeli dimersa es in profundum inferni?
Mar. Eheu!
Abr. Quare me despexisti? quare deseruisti? quare eventum tuae perditionis mihi non indicasti, quo ego cum dilecto meo Effrem dignam pro te poenitentiam agerem?
Mar. Postquam lapsa in peccatis corrui, tuae sanctitati polluta proximare non praesumpsi.
Abr. Quis unquam a peccato extitit immunis, nisi solus filius virginis.
Mar. Nullus.
Abr. Humanum est peccare, diabolicum in peccatis durare, nec jure reprehenditur, qui subito cadit, sed qui citius surgere negligit.
Mar. Ei mihi infoelici.
Abr. Cur decidis? cur in terra jaces immobilis? erigere et, quae dicam, percipe.
Mar. Pavore concussa corrui, quia vim paternae monitionis ferre nequivi.
Abr. Attende mei in te dilectionem et depone timorem.
Mar. Nequeo.
Abr. Nonne tui causa desiderabilem heremi habitationem reliqui, omnem regularis observantiam conversationis paene evacuavi in tantum, ut ego verus heremicola factus sum lascivientium conviva, et qui diu silentio studebam, jocularia verba, ne agnoscerer, proferebam? Cur, dimisso vultu, terram inspicis? cur respondendo mecum verba miscere dedignaris?
Mar. Proprii conscientia reatus confundor; ideo nec oculos ad coelum levare, nec sermonem tecum praesumo conserere.
Abr. Noli diffidere filia, noli desperare, sed emerge de abysso desperationis, et fige in deo spem mentis.
Mar. Enormitas peccatorum prostravit me in desperationis profundum.
Abr. Peccata quidem tua sunt gravia, sed superna

pietas major est omni creatura. Unde tristitias rumpe, datumque poenitendi-spatiolum pigritando noli negligere, quatinus superabundet divina gratia, ubi superabundavit facinorum abominatio.

Mar. Si ulla promerendae spes suae veniae inesset, studium poenitendi minime deesset.

Abr. Miserere meae, quam pro te subii, lassitudinis et depone perniciosam desperationem, quam omnibus commissis non nescimus esse graviorem. Qui enim, peccantibus deum misereri velle desperat, irremediabiliter peccat, quia, sicut scintilla silicis pelagus nequit inflammare, ita nostrorum acerbitas peccaminum divinae dulcedinem benignitatis non valet immutare.

Mar. Non enim supernae magnificentiam pietatis nego, sed proprii enormitatem sceleris considerando ad dignae satisfactionem poenitentiae vereor non sufficere.

Abr. In me sit iniquitas tua, tantummodo revertere ad locum, unde existi, et ini secundo conversationem, quam deseruisti.

Mar. In nullo unquam tui renitor votis sed, quae jubes obtemperanter amplectar.

Abr. Nunc fateor, te vere quam nutrivi filiam, nunc censeo, te prae omnibus fore diligendam.

Mar. Aliquantulum auri vestiumque possideo, quod tua de his auctoritas decreverit, expecto.

Abr. Quae acquisivisti peccando, cum ipsis peccatis sunt abjicienda.

Mar. Rebar pauperibus eroganda, seu sacris esse altaribus offerenda.

Abr. Non satis acceptabile munus deo esse comprobatur, quod criminibus acquiritur.

Mar. Nulla super his ultra sollicitudine fatigar.

Abr. Matuta nitescit, lucescit; abeamus.

Mar. Tuum est, pater amande, ut ad instar boni pastoris praecedas repertam ovem, et ego paribus incedens vestigiis subsequor praecedentem.

Abr. Haud ita, sed ego pedibus incedam, te autem equo superponam, ne itineris asperitas secet teneras plantas.

Mar. O quem te memorem, quam tibi gratiarum impendam |recompensationem, qui me indignam miseratione non terrore cogis, sed miti condescensione ad poenitentiam hortaris.

Abr. Nihil aliud a te expeto, nisi ut reliquum vitae inhaerendo insistas dei obsequio.

Mar. Spontanea mente inhaeream, pro viribus insistam, et si facultas desit posse, nunquam tamen deerit velle.

Abr. Convenit, ut quo studio deserviebas vanitati, famuleris divinae voluntati.

Mar. Fiat, precor, tuis meritis, ut in me perficiatur voluntas divinitatis.

Abr. Maturemus reditum.

Mar. Maturemus, nam me taedet morarum.

Abr. Quanta celeritate asperi difficultatem itineris transcurrimus.

Mar. Quod devote agitur, facile perficitur.

Abr. Ecce tua deserta cellula.

Mar. Ei mihi. Ipsa mei sceleris est conscia, ideo ingredi formido.

Abr. Et merito fugiendum; est quippe locus, in quo hostem sequitur triumphus.

Mar. Et ubi me decernis compunctioni vacare?

Abr. Ingredere in cellam interiorem, ne vetustus serpens decipiendi ultra inveniat occasionem.

Mar. Non contraluctor, sed quae jubes, amplector.

Abr. Familiarem meum Effrem accedam, quo ipse, qui solus mecum tuae condoluit perditioni, congaudeat inventioni.

Mar. Competit.

Effr. Num mihi aliquid affers gaudii?

Abr. Ac magni.

Effr. Placet, nec dubito, quin Mariam nanciscereris.

Abr. Nanciscebar plane et gaudens reduxi ad ovile.

Effr. Divinae gratia visitationis factum credo.

Abr. Procul dubio.

Effr. Vellem scire, qualiter juxta id temporis vitam moresque ordinaverit.

Abr. Juxta meum velle.

Effr. Hoc illi expedit vel maxime.

Abr. Quicquid ipsi agendum proposui, quamvis difficile, quamvis grave, haud abrogavit subire.

Effr. Laudabile.

Abr. Nam, induta cilicio continuaque vigiliarum et jejunii exercitatione macerata arctissimae legis observatione corpus tenerum animae coegit pati imperium.

Effr. Aequum est, ut iniquae sordes delectationis eliminentur acerbitate castigationis.

Abr. Quisquis ejus lamenta intelligit, mente vulneratur; quisquis compunctionem sentit, et ipse compungitur.

Effr. Solet fieri.

Abr. Elaborat pro viribus, ut, quibus causa fuit perditionis, fiat exemplum conversionis.

Effr. Consequens est.

Abr. Nititur, ut quanto extitit foedior, tanto appareat nitidior.

Effr. Jocundior audiendo precor, dialique laetor gaudimonio.

Abr. Et merito. Nam falanges angelicae gaudentes dominum laudant super peccatoris conversione.

Effr. Nec mirum. Nullius namque justi magis delectatur perseverantia, quam impii poenitentia.

Abr. Unde in illa tanto justius laudatur, quanto ultra resipisci posse desperabatur.

Effr. Congratulantes laudemus, laudantes glorificemus unigenitum et venerabilem, dilectum et clementem dei filium, qui non vult perire, quos sui sacro redemit sanguine.

Abr. Ipsi honor, gloria et jubilatio per infinita saecula. Amen.

Corrigenda.

Pag. 3 lin. 43 leg. linguam.
„ 4 „ 3 „ notas.
„ 5 „ 16 „ narrat.

THESES.

1. Initia scenicae poesis apud Germanos propria et germanica sunt, neque ex antiqua poesi fluxerunt.

2. Hrosuithae aetate nulla scenicarum rerum vestigia in Germania fuerunt.

3. Carmen der Nibelunge nôt inscriptum e multis cantibus popularibus compositum est.

4. Fabulae Tristan et Isolde inscriptae, quae medii aevi tempore a clarissimis poetis culta et expolita est, Celticam originem esse puto.

5. Versus epicus, quo antiquissimis temporibus Germani utebantur, tetrameter fuit octo arses continens.